Quelle: https://manuscripta.at/?ID=468
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

in corpore. possunt sci fide magis
nosse quam dicere. Alioquin apls raptus
in tercium celum et in paradysum audiuit
uerba que nequaquam ualet humana
lingua proferre. Sed et ipse interpellat
pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Isti ergo
cuius generationem aut nullus aut ra-
rus enarrare potest. sublata est uita
de terra. ut nequaquam in terra sed in ce-
lo uiueret. Siue abscisus est de terra
uiuencium. ut impleretur de eo quod scrip-
tum est in apokalipsi iohannis. Ego sum
primus et nouissimus qui uiuebam et
sum mortuus. et ecce uiuo in eter-
num. ut post uitam qua uixit in ter-
ra mortuus terre. celis uiueret in eter-
num. Quodque iungitur propter scelus po-
puli mei percussit eos. siue iuxta lxx.
ab iniquitatibus populi mei ductus est
ad mortem. duplicem sensum habet.
Aut enim persecutores et sceleratos populi
sui. sua morte percussit. aut propter
magnitudinem peccatorum populi. quem
semper peculiarem habuit ductus est
ad mortem. ut illos ad uitam. sua mor-
te reuocaret. Ipse dedit impios
pro sepultura sua et diuitem pro morte
sua. siue pessimos pro sepultura eius
et diuites pro morte eius. utrumque po-
pulum significans. ut et in malis et
pessimis qui ante dei noticiam non ha-
bebant. ostendatur gentium multi-
tudo. in diuitibus quorum erat testa-
mentum et legis latio. et prophete. iudai-
cus populus demonstretur. Ergo idcirco
passus est dominus et sepultus. ut ex utroque

populo sibi ecclesiam congregaret. Siue
hoc dicendum quod scribas et pharyse-
os. ac saduceos sacerdotes. et ponti-
fices. qui in populo ante regnabant
et nimiis opibus affluebant post domini
passionem romanis tradidit deus. et eo-
rum subiecit seruituti. Iste pro eius se-
pultura. et morte impii. et diuites
sunt traditi iniquitatem non fecit. nec
dolus inuentus est in ore eius. quod
de nullo penitus hominum intelli-
gi potest. ut nec opere nec sermone
peccauerit dicente scriptura. Nemo
mundus a sordibus. nec si unius quidem
diei fuerit uita eius. Et omnes sicut
oues errauimus. unusquisque in uia sua
declinauit. Aqua uia non de illo qui
peccata nostra portauit. et pro nobis do-
let. et uulneratus est propter iniquitates
nostras. et afflictus est propter scelera nostra.
cuius liuore sanati sumus. Super quo
et princeps apostolorum petrus. hoc testi-
monium edisserens ait. In hoc enim
uocati estis. quia et xpc passus est
pro nobis. relinquens uobis exemplum
ut sequamini uestigia eius qui
peccatum non fecit. nec inuentus est
dolus in ore eius. Qui cum malediceretur.
non maledicebat. cum pateretur non
comminabatur. Dominus autem uoluit mun-
dare eum a plaga quam lancea mi-
litis percussus acceperat. siue contere eum
in infirmitate. ac uulnere. de quo
et ipse dicebat. Quoniam quem tu percus-
sisti. ipsi persecuti sunt. Et per zachariam
loquitur deus. Percutiam pastorem. et oues